MEDIZINISCHE SAMMELHANDSCHRIFT
Entstehungsort unbestimmt, 2. Drittel 15. Jh.
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35514
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



~~matrix ad dyafragma~~ et lumbos. Non enim pervenit ad hec membra sed vapor. Quia non autem possunt et per quas vias pervenire potuisti videre, que sit curatio et cum quibus, quaeras ab auctoribus, quia auctoritas in hiis pertinet dat notitiam locorum.

De auctoritate burse testiculorum

Et iam narravi auctoritatem matricis et vasorum spermaticorum mulierum, et visa est convenientia earum in viris et mulieribus quantum ad originem. Sed dicta est, quia sunt in viris testiculi sunt extra sicut sunt in quolibet animali, quod debet esse morosum in coytu, sicut sunt omnia animalia quadrupedia preter ericium. Vasa enim hec spermatica intra myrach non tenentur sed egrediuntur myrach et testiculis copulantur ut duobus suspensoriis, et quia membra nobilia ut sint tuta ab occasionibus exterioribus debent esse velata panniculis. Ista vasa non contenta in syphac contenta et velata sunt panniculo orto a syphac, qui nominatur didimus, cuius orificium est in fine ilioris clausum secundum naturam expressum. In processu eius secundum quantitatem vasorum spermaticorum dilatatur existit in fine eius dilatatur ad quantitatem testiculorum, et in parte ista vocatur bursa testiculorum sive oseum. Et apparet tibi figura istius didimi et quantitas et numerus partium eius et substantia et positio sive colligantia. Apparet etiam innatum eius, quia factus est ad continendum et custodiendum testiculos et vasa spermatica veniencia ad eos. Egritudo eius specialis cuius cognitio et cura declaratur ex auctoritate est dilatatio orificii eius preter naturam. Et causa est ut ista que intra syphac continentur descendunt in oseum, et talis descensus dicitur hernia. Et quia quod descendere potest est ventositas vel aquositas vel intestinum, hernia triplex est: ventosa, aquosa et intestinalis. Carnosa vero non causatur ex descensu alicuius. Curantur autem hec passiones per constrictiva emplastra et ligaciones secundum quod ponunt auctores. Sed ista que est intestinalis specialiter quando iam processit, cyrurgia ipse curatur. Et modum videas, quia supinatur homo et intestina reintromittuntur sive ad proprium locum reducuntur. Postea testiculus ducitur superius donec sit in loco alteri in quo possit esse, et in illo loco signatur, quia tunc est recte super osse femoris, et in loco illo debet fieri incisio vel perforatio et non super locum illum, quia tunc perforaretur myrach et aliquid intestinorum. Non debet etiam fieri infra locum illum, quia remaneret post consolidationem eminentia magna preter naturam. Signato loco debet fieri perforatio. Et ista vel fit a quibusdam cum rasorio et cicius expediunt, et vadunt circa circa excarnationem didimum et testiculum ab oseo, et postea ligant in parte superiori et abscindunt didimum et vasa spermatica cum testiculo et consolidant postea. Et ista cura cito fit. Et quidam sunt qui solum excarnant didimum et non testiculum et sunt et ligant in parte superiori et apponunt medicinam fortiter constrictivam et sic dimittunt. Vel fit ista perforatio cum farmaco caustico corrumpente et urente cutim in loco illo. Postea apponunt arsenicum sublimatum quod corrodit et causticat et constringit adurendo et continue partes didimi corruptas extrahunt. Postea vero consolidant. Expedito didimo debes videre quod ponunt auctores, scilicet quod vasa spermatica sunt duplicia, scilicet preparantia et deferentia. Preparantia sunt que descendunt a locis predictis ad testiculos et circa partem superiorem testiculorum involvuntur et saccum quasi ibi faciunt. Non enim substantiam testiculorum ingrediuntur. Et ista vasa sunt venosa. Alia vero sunt que istis continuantur nervosa magis, et quanto plus ascendunt a testiculis magis sunt nervosa, et ascendunt usque ad os femoris ubi incipit didimus egredi. Et tunc profundantur intrinsecus in loco vesice vel colli eius. Et tandem procedunt usque ad virgam et ad meatum virge perveniunt in loco qui est in foramine ossis femoris, et tunc per meatum qui ibi sunt duo sicut vasa spermatica sunt duo emittunt sperma quod appartenerunt a testiculis quod ab eis generatum fuit in vasis aliis, et istud sperma evomunt in canale virge. Virga vero postea extra emittit. Verum est quod in foramina non bene poterit videre nisi quando anothomizas virgam. Et ex hiis tibi de testiculis hominis et vasis spermaticis apparet figura et substantia, quia testiculi sunt glandosi. Apparet quantitas numerus positio et colligantia. Apparet etiam innatum eorum. Et ex hiis apparet egritudo, quia quando incidunt vel apostemantur vel opilantur vasa vel alia de causa materia spermatica non pervenit quod cessat coytus, sed in tertium [illegible] causa oppositus fit emissio spermatis involuntaria et maxime contingit propter spasmum vel mollificationem predictorum vasorum.

De auctoritate vesice

Dies expletis elevia renes et vade excarnationem vel porum uritidem vel ambos, et videbis quod tenentur ad vesicam iuxta medium eius, et non est perforans vesicam directe uno foramine magno sed foraminibus parvis et obliquis et lateralibus procedentibus inter tunicam et tunicam vel inter tunicam et coopertorium, et hoc factum fuit ut quando vesica impleatur